DE NESTORE

RERUM RUSSICARUM SCRIPTORE

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
THESIM PROPONEBAT

L. LEGER

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD FRANCK

67, VIA DICTA DE RICHELIEU, 67

1868

DE NESTORE

RERUM RUSSICARUM SCRIPTORE

DE NESTORE

RERUM RUSSICARUM SCRIPTORE

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

L. LEGER

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD FRANCK

67, VIA DICTA DE RICHELIEU, 67

1868

OPTIMO MAGISTRO ET AMICO,

ALEXANDRO CHODZKO

Slavicarum litterarum in Collegio gallico professori,

GRATUS ALUMNUS.

DE NESTORE RERUM RUSSICARUM SCRIPTORE

Nestoris chronica [1] in Europa occidentali adhuc male nota esse rerum historicarum periti facile fatebuntur. Apud Germanos, præter obsoletos et jam fere inutiles Schlætzerii et Mullerii labores et germanicam Pogodini dissertationis translationem, nihil exstat[2]. Apud Gallos habes aliquot lineas a *Chateaubriand* scriptas in proemio libri cui nomen inscribitur *Études historiques*, curtas notitias in *Biographiis* a *Michaud* et *Didot* collectis, ampliorem sed mancam dissertationem a *Daunou* in *Journal des Savants* editam [3], translationem Ludovici *Paris* cum præfatione satis probabili et additamentis ad Nestorem parum attinentibus. Quæ omnia ante pri-

[1] Slavonice *Letopis*, id est, annorum descriptio sive annales : quæ vox *letopis* a Nestoris vitæ auctore in *Biographia Feller*, ut nomen proprium scriptoris intellecta est.

[2] De illis operibus infra disseremus.

[3] Anno 1835, p. 732-40.

mam Nestoris editionem *criticam*[1] a viris doctis quidem, slavicarum autem rerum rudibus scripta sunt.

Multa desunt brevibus in paginis quas Nestori impenderunt slavicarum litterarum historici, ut apud nos Eichhoff[2], aut Mickiewicz[3], apud Anglos Talvi[4], apud Germanos Schafarik[5] et Olbrecht[6], apud Italos Sceviref et Rubini[7].

Omnes illi auctores vel ante supra dictam editionem scripserunt, vel, ut Talvi cujus liber in America vulgatus est, hanc editionem ignoraverunt, vel ut Szeviref in brevi epitome rem enodate explicare nequiverunt. Quod quidem valde dolendum est, cum tanti referant ad Europæ orientalis historiam illa Nestoris chronica.

Mihi ergo visum est, utpote jam aliquot annos in rebus slavicis versanti, non inutile fore de Nestore amplius et luculentius disserere. Id opus eo fidentius aggredior, quod multum temporis slavicarum linguarum studio impendi, ita ut non modo ipse annalium textus, sed etiam recentes russico, bohemico, polonico sermone scriptæ dissertationes mihi patuerint; quod, salva modestia dixerim, nulli adhuc, credo Gallorum, paucissimis vero Germanorum contigit[8].

Quantum difficultatis in istius generis laboribus

[1] Petropoli editam, 1846, vide infra.

[2] *Histoire des littératures slaves*, Paris, 1839.

[3] *Les Slaves*, cours professé au Collége de France.

[4] *Historical view of the languages and literature of the Slavic nations*, New-York, 1850.

[5] *Geschichte der Slavischen spräche*, Oten, 1826.

[6] *Geschichtliche Übersicht der Slavischen spräche*, Leipzig, 1837.

[7] *Storia della letteratura Russa*, Firenze, 1862.

[8] Miklosich etsi omnia fere sua opera germanice conscripsit, inter Slavos tamen annumerandus est.

lateat non ignoro, nec lectorem ignorare censeo; tantula est in nostris bibliothecis librorum ad res slavicas pertinentium copia! Tentenda tamen via est; nempe, ut aït poeta [1]:

Μεγάλως ἀπολισθαίνειν ἁμάρτημα εὐγενές.

De Nestore disserendo brevis imprimis et lucidus, omissis ambagibus omnique digressione aut non utili excursu, esse volui. Precor ergo ne a me plus requiras quam ego nunc dare vel statui vel potui. Nunc autem mihi modo propositum est quærere :

§ I. A. An Nestor exstiterit et chronica scripserit; B. quis fuerit Nestor; C. quem ad annum chronica produxerit.

§ II. Unde chronicorum sumpserit materiam.

§ III. Quale sit Nestoris ingenium, quæ chronicis fides adhibenda.

§ IV. Qua lingua sit usus Nestor.

§ V. Quæ sint et quid valeant chronicorum editiones vel translationes.

§ I

A

Quemdam monachum kioviensem exstitisse et rerum russicarum chronica scripsisse multis constat testimoniis. Unus tantum [2] inter sexaginta fere adhuc exstantes codices Nestoris fert nomen; cæteri vero, auctoris omisso nomine, in titulo declarant eum

[1] Poeta ignotus ap. Longinum περὶ Ὕψους.
[2] Vulgo dictus Chlebnikovski. Vide infra.

kioviensem fuisse monachum. Doctus rerum russicarum scriptor *Tatiszczev* [1] qui principio sæculi XVIII multa collegerat documenta affirmat nomen illud tribus codicibus inscriptum esse quorum nulla hodie reperiri potuerunt vestigia [2].

Perpetua autem traditione constat in monasterio *peczariensi* (id est *cryptarum*) [3], Kioviæ sepultos esse duos monachos Nestoris nomine quorum unus *chronographus* [4], alter vero ignarus, illitteratus [5] dicitur. Nomen Nestoris Ruthenorum *chronographi* reperies in catalogo patrum præcipuorum in cryptis kioviensibus sepultorum apud Herbinium [6] qui de eo Nestore chronographo sæpe in opusculo suo loquitur.

Graviora etiam occurrunt nobis argumenta: in codice sæculi XIII, qui dicitur Perejaslavo-Suzdaliensis ad hanc lineam: Theodos k nemu ia ubohy priszel, id est: Theodosius (kioviensis abbas) ad quem ego (annalium scriptor) peccator veni, in margine additur a librario: *ego, id est Nestor.*

Maximi vero momenti testimonium est Polycarpii monachi ejusdem monasterii qui sæculo XIII vivebat [7]. In epistola ad archimandritam Akindinum scripta, aït: Quemadmodum beatus Nestor in suis annalibus, etc.

[1] De *Tatiszczev* vide Grecz. *Historia litterarum russicarum* — russice — aut Szevirev — italice.

[2] Pogod, p. 61, sq.

[3] Crypta nempe slavice sonat *peczara*.

[4] Letopisatel.

[5] Neknijny.

[6] *Religiosæ kiovienses cryptæ. Jenæ* 1665. Herbinius ille fuerat in Polonia pastor lutheranæ fidei : multa de Slavis orientalibus didicerat : etsi *criticæ* egens, tamen non sine utilitate legitur.

[7] Vide Pogodini et Grecz op. cit.

Idem Polycarpius in vita sancti Nikitæ cujus exstat codex sæculi XV, enumerat aliquot e præstantissimis monasterii sui monachis inter quos : *Nestorem qui chronica scripsit.* Non dubium est quin Nestoris centum fere abhinc annis defuncti usque ad ætatem Polycarpii memoria vixerit : forsan ipsius manu exaratum codicem Polycarpius legere potuerat. In libro quoque dicto πατερικόν (id est, vitæ sanctorum Patrum)[1], ex anonymo vitæ Nestoris auctore, chronica ab eo fuisse scripta cognoscimus.

Quum autem tot et tanta concurrant testimonia, tam clare patet Nestorem chronographum exstitisse, ut vel a tenacissimo Harduino factum illud negari nequeat : quod tamen tentaverant principio hujus sæculi aliquot in Russia ὑπερκριτικόι ut Stroiev et Senkovsky, qui mox Pogodini, Kubarevi et aliorum argumentis oppressi ad silentium redacti sunt. De illa in oblivione nunc obruta russicorum scriptorum controversia non loquemur ; gallico enim lectori nihil afferret voluptatis vel utilitatis ; nec varia documenta in manu habemus. Cæterum si demonstrari posset nostrum Nestorem vel non exstitisse vel non scripsisse annales, rem parvi momenti declarare non dubitaremus ; nullas nempe Nestor in factis a se narratis partes egit : parvi igitur interest utrum obscurus et humilis monachus qui nomen suum operi suo inscribere non dignatus est Petrus an Paulus dictus fuerit : satis est ejus annales exstare et credibiles demonstrari.

[1] Vide infra.

B

Quod ad vitam Nestoris attinet omnis fere materies ex ipsis ejus chronicis haurienda est : notitia quæ in Patericone reperitur nihil novi nobis affert. Cæterum, est Patericoni minima fides adhibenda. Est enim compilatio vitas sanctorum Ecclesiæ Ruthenicæ continens, post sæculum XV a variis auctoribus sine critica et gravitate conscripta. Prima editio typis prodiit lingua polonica Kioviæ anno 1660 [1]. Exstant multæ Slavonicæ posteriores editiones quæ a populo russico summa voluptate versantur, doctis autem sordent. Multa in hoc libro ex ipsis Nestoris chronicis ab hagiographis inserta sunt : unde fit ut quidam inconsulte crediderint Nestorem primum fuisse collectionis hujus auctorem. Qui rem amplius noscere velit ad luculentissimam R. P. Martynov in Actis Sanctorum dissertationem recurrat [2].

De sua patria tacet Nestor. Quidam eum longe a Kiovia ad littus Albi lacus (Bialo-jezero) ex uno codice (Radzivillensi) natum asserunt. In illo nempe codice legitur ad caput XIII « Sineus sedem suam posuit ad Album » lacum *apud nos.* » Quum vero hæc verba *apud nos*

[1] Anno 1635, si credis polonicæ *Encyclopædiæ* (*Encyclopedyja powszechna*), titulus est : *Paterikon albo zywoty*. Patericon vel vitæ sanctorum patrum peczarientium, fusius à Nestore monacho et chronographo russo olim scriptæ, nunc autem, e græcis, latinis, slavicis et polonicis scriptoribus in breviorem textum redactæ ; auctor hujus collectionis fuit Silvestris Kossow Kioviensis metropolita. Rarissimum hodie opus.

[2] Mensis octobris, p. 772, sq.

tantum in Radzivillensi codice exstare compertum habeamus, merum esse cujusdam librarii monachi, harum regionum incolæ, addimentum existimare licet.

De Kiovia ejusque populo singulari cum amore Nestor semper loquitur. Quo tempore, quomodo, unde se in illam urbem contulerit nusquam lectorem monet : Kioviæ igitur eum natum esse tuto affirmare possumus. De Kioviæ origine non disseremus ; satis nobis est scire illam urbem Nestoris ætate jam antiquissimam inter omnes Rusiæ civitates habitam esse, et fama opibusque clarissimam : quod testantur non modo Nestor sed Thitmarus[1], Constantinus Porphyrogenetes[2] et Adamus bremensis qui eam alteram Constantinopolim vocat.

Quo anno sit natus Nestor ipse indicat ; refert enim se annos XVII natum, anno 1073 ad ἡγούμενον id est, abbatem peczariensis monasterii Theodosium venisse ; unde patet illum anno 1056 esse natum. Eo de monasterio multa nobis tradidit [3]. Nomen ducit e cryptis quas olim non procul a Borysthene sancti effoderunt solitarii ut vitam *heremeticam* agerent. Multi in eas cryptas concurrerant fratres qui, dein, Theodosio auspice, magnum condiderant monasterium quod, accepta constantinopolitani *studii* monasterii regula maxime floruit [4]. Defuncto autem Theodosio, Stephanus abbas Nestorem tonsura coronatum inter monachos recepit. In vita monastica diem similis sequitur dies ; paucissima

[1] Liber VIII, cap. 20.
[2] De administ. imp., cap. IX. *Kioaba* eam nominat.
[3] Cap. LVII.
[4] De cryptis vide supra dictum opus Herbinii ; de studiensi monasterio vide Muller, Studium cœnob. constantinop. ex monumentis byzantinis erutum. Lipsiæ, 1721, p. 46–71.

minimaque de se ipse dicit Nestor. Novo monasterii condito templo, monachi ab hegumeno impetraverunt ut beati Theodosii corpus in hoc templum transferri juberet. Nestori contigit honos sacras reliquias effodiendi et minutius enarrat quomodo tanto functus sit officio, quibus miraculis sancti abbatis tumulus illustratus fuerit : summa veneratione colebat Theodosium quem Magnum vocare non dubitat [1].

Anno 1091, *Polovtsi* barbara gens rura circa Kioviam et ipsum monasterium depopulati sunt aliquotque monachos occiderunt. Nestor cum quibusdam e sodalibus suis postico fugere coactus est, et ita e manibus hostium evasit.

Ad annum 1106 senem quemdam nomine Johannem Wyszatam obiisse scribit, additque se multa in chronicis inseruisse quæ ex illo audiverat.

Nestor quando mortuus sit incertum.

Patericon de anno tacet; affirmat vero illum multos annos vixisse, annales scribentem, æternaque meditantem. Ad annum 1097 chronica loquuntur de Vladimiro ut de homino jam defuncto; Vladimir autem obiit anno 1125; unde conjici potest Nestorem post hunc annum de vita decessisse. Sepultus est in monasterio peczariensi cujus inter sanctos adhuc a populo russico colitur.

[1] Ad ann. 1094.

C

Quando Nestor annales scribere cœperit nescimus, quem vero ad annum duxerit definire oportet. Exstant annalium codices LII; in nullo autem solum Nestoris textum reperies : multi enim anonymi opus a Nestore inceptum non modo transcripserunt sed etiam persecuti sunt, nec operam dederunt ut a textu proprio additamenta discernerent. Præcipuos igitur Nestoris codices recensebimus, deinde exquiremus an chronicis certus finis imponi possit.

Quum anno 1846 primam russicorum chronicorum editionem *criticam* publicari jussit Imperator Nicolaus; institutum *ad hoc* consilium *archæographicum* [1]; omnes codices in Russia dispersos collegit et inter se contulit : duo et quinquaginta reperti sunt qui in quatuor ordines secundum varias textus ætates divisi sunt.

1° Vetus textus ; 2° medius ; 3° recens ; 4° *contractus*.

Ad veterem textum quatuor modo exemplaria pertinent :

1° Textus Laurentianus, in-4° pergamineus, 170 paginarum, hodie in bibliotheca Petropolitana, antea in bibliotheca cujusdam monasterii, in urbe Vladimir, servatus. Dictus est Laurentianus a Laurentio monacho qui fatetur a se annalium codicem inter quartam decimam Januarii mensis et Martis vicesimam diem anni

[1] Kommissia archeographiczeskaïa.

1377 transcriptum fuisse. Ille codex Laurentianus multa cura exaratus est.

Quiquid legere non poterat scriba, omisit, album linquens locum in linea; ipse ob menda deprecatur veniam, libri vetustatem, suam vero juventutem allegans [1]. — Desinit anno 1305.

2° Textus hypaticus, in-folio chartaceus, 306 paginarum, sæculo XIV vel XV scriptus; nomen ducit e monasterio hypatico in quo servabatur : aliquando fusior est Laurentiano; inde censent alii Laurentianum ab Hypatico contractum, alii Hypaticum additamentis auctum : sunt autem hæc additamenta parvi momenti, pleraque tantum, ut verisimile est, γλῶσσαι in textum receptæ : desinit anno 1113 [2].

3° Textus Troicky, in-4°, pergamineus, 261 paginarum, sæculi XIV vel XV; ita dictus a monasterio Troicky (sanctæ Trinitatis) ubi servatur : idem est ac Radzivillensis.

4° Textus Radzivillensis, vel regiomontanus [3], in Lithuania scriptus, sub fine sæculi XV, vel initio sæculi XVI, ita dictus a principe Radzivillo cujus erat. A Radzivillo bibliothecæ regiomontanæ datum Petrus Magnus emit, Academiæque scientiarum petropolitanæ commisit. Textus ille quamvis antiquus, erroribus scatet : chronica perducit ad annum 1216 : post annum 1110 sex annorum lacuna est.

[1] *Knigi vetszy a rozum molod ne doszel.* Textum Laurentianum ediderunt usque ad ann. 980. Timkovsky, consilium archæographium, Miklosich, Kotkowski. De his editionibus vide infra.

[2] Hunc textum edidit Bielowski.

[3] Regiomons, Kœnisberg.

Inter textus medios optimus habetur Chlebnikovski, ita dictus a pristino possessore Chlebnikov, in-folio, chartaceus, 316 pag. Sæculi XV vel XVI. Textum Hypaticum sequi videtur.

Inter textus contractos eminet Pereiaslavosuzdaliensis, sæculi XIII. Ex aliquot locis existimare possis scribam novisse quemdam ampliorem textum, nisi forte ipse *archetypum* sponte sua amplificaverit [1].

Ex illa recensione videmus apud probatissimos textus, ad annum 1110 vel 1113 chronica perduci.

Ipse quidem Nestor quem ad annum opus ducere statuerit clare indicat; nempe ab origine mundi historiam repetens, annorum ordinem usque ad Sviatopulci (Sviatopolk) mortem, id est, ad annum 1113 explicat. Certum igitur hanc mortem a Nestore ut operis terminum acceptam fuisse; quod alioquin demonstrat textus hypaticus; namque post annum 1113 dimidia pagina vacua est; quæ vero sequuntur non eadem manu scripta sunt. Hunc finem annalium ad annum 1113 testatur quoque monachus Kioviensis Koszczakowski qui sæculo XVII chronicorum epitomem scripserat.

In codicibus autem Laurentino et Radzivillensi, ad annum 1110 ea subscriptio legitur :

Ego Sylvester hegoumenus (id est, abbas) monasterii sancti Michaëlis, illos libros scripsi, principe Vladimiro Kioviæ regnante, anno 6624 (1116) : post hæc exstat lacuna.

Ex illa subscriptione concludere voluerunt alii non Nestorem, sed Sylvestrem annalium fuisse auctorem,

[1] Editus a Michaele principe Obolenski, Moskvæ, 1851.

quod nullo modo demonstrari potest, tot et tantis contra testimoniis insurgentibus, alii Nestorem non ad annum 1113 perduxisse historiam. Ego vero censeo id unum illa subscriptione significari : Sylvestrem chronica usque ad annum 1110 transcripsisse et ad calcem operis monachorum more nomen suum addidisse; quod quidem in aliis codicibus frequenter accidit. Exempli gratia Tatiszczev refert unum se vidisse qui anno 1073 finiebatur voce : *Amen.*

Vox ea reperitur in codice Laurentiano et in aliis ad annum 1074; nihil autem demonstrat, nisi librarium annalibus transcribendis ad hunc annum finem imposuisse.

Nestorem vero ultra annum 1110 annales produxisse factum unum testatur. Anno nempe 1111 miraculum memorans (columnam igneam) quod anno priore evenerat, ait : ut ipsi antea diximus, *jakoje rekochom.* Quod quidem haud facile credas ab alio scriptore dici potuisse.

Quum videas a Nestore operis initio usque ad annum 1113 ordinem temporum determinari, non sine jure judicabis illum ab eo ipso anno vel etiam posterius scribendis annalibus operam dedisse. Quod etiam demonstrat tempus historicum (id est imperfectum) quo ad annum 1107 de Sviatopulco locutus utitur : « Sviatopulcus (mortuus anno 1113), ait Nestor, solebat, antequam ad bellum proficisceretur, ad monasterium venire. » Eodem tempore, quod ad Vladimirum (anno 1125 defunctum) attinet utitur. Verisimile ergo est illum, etiam post mortem hujus principis, annales scripsisse. Attamen loca quædam in chronicis demonstrant ea longe ante mortem Sviatopulci incepta fuisse. Ad annum 1044 refert Nestor

Vszeslavum quemdam natum esse capite afflicto naturali quodam vulnere. Vulnus illud, ait, usque ad hodiernum diem gerit. Vszeslavus autem, teste ipso Nestore, anno 1101 mortuus est. De Vszeslavo igitur ante hunc annum scripserat. Recte censet Erben illum sine ordine quidquid memoria dignum existimaret chartis mandavisse, sub fine autem vitæ omnem chronicorum materiam ad annorun ordinem redegisse.

§ II

Unde Nestor annalium materiam sumpserit nunc videamus.

Magna pars est rerum cujus ipse Nestor testis fuit, ab anno nempe 1073 quo in monasterium ingressus est usque ad annum 1113. Quæ illo temporis intervallo scripsit, vel ipse viderat, vel ab æqualibus, Kioviæ civibus, aut advenis audiverat. Exempli gratia, ad caput CLXXXIV, ea refert quæ a cive quodam Novogorodiensi (Kurata Rogovicz) didicerat. Ad annum 1074 monachum monasterii sui nominat qui adhuc recordabatur Russiæ ad christianam fidem conversæ [1]. Ad annum 1104 senem quemdam memorat ætate provectum a quo accepit multa quæ chartis deinde mandavit [2]. Monachi Kiovienses

[1] Cap. LXVIII.
[2] Cap. LXXXVI.

etsi extra mundum viventes non tamen sine commercio cum illo mundo erant. Teste ipso Nestore, princeps nihil magni aggrediebatur quin ad monasterium veniret hegumeni consilia et benedictionem quæsiturus : re autem perfecta, ad monasterium redibat, ibique Deo gratias agebat. Princeps litterarum amans, ut ille a Nestore laudatus Iaroslavus, forsan et ipse monachis materiam scribendi libenter præbebat. Videmus et monachos principum russicorum negotia gessisse. Monachi peczarienses apud principes et boïaros Kiovienses in summo honore erant : monasterium peczariense non patriarchi sed principis jurisdictioni parebat. Nihil dubii est quin usus sit quoque proverbiis vel fabulis vel cantibus quæ etiam tunc in ore omnium versabantur [1]. Neminem latet quantam vim et tenaciam apud slavicas gentes habeat cantus popularis. Hodie adhuc in Russia exstant cantilenæ in quibus paganorum ætatis vestigia invenias [2]. Vocantur *bylinæ*, id est fabulosæ narrationes; gens autem ruthena sive malo-russica ubi Kiovia condita est longe ante alias suis cantilenis eminebat. Ex ea prisca ætate superest nobis longum poema cui nomen inditum est : Bellum Igoris [3]. Recentiores autem habemus Cosacorum cantus qui eorum lingua *dumi* vocantur [4] et quibus nec gravitas, nec venustas deest. Cantilenæ vero slavicæ

[1] Ex. grat. Cap. XLVI.

[2] De cantus popularis usu apud Nestorem disseruit Saffarik. *Slavicæ Antiquitates*. Editio Bentkowski, p. 324 sq. Tom. 1. Pogodinus in jam nominata dissertatione.

[3] Gallice translatum, ap. Eichhoff, *Histoire des littératures slaves*, et Mickiewicz. *Les Slaves*, tom. I. Optima editio vulgata est, curante professore Hattala. Pragæ, 1857.

[4] *Collecti a Maximowicz*. Moskwæ, 1829.
Exstat germanica translatio : Die poetische Ukraine von Bodenstedt. — Stuttgard, 1845.

quas noverat Nestor fabulis scandinavicis[1] jam mixtæ esse debebant : exempli gratia, quæ de Olegi equo fabulosa[2] vel de passeribus adversus hostes ab Olga missis[3] enarrat, apud Scandinavos inveniuntur[4]. Ab istis cantilenis, Nestor utpote monachus abhorrere debebat; eas tamen sæpius in narrationem suam vel inscius recepit.

Ad monumenta hominum manu ædificata recurrit libenter Nestor; sepulchra enim et templa aliasque ædes tempore suo servata diligenter memorat[5].

Sunt etiam alii fontes ex quibus res hausit, scripta nempe quæ imitatus est aut quorum fragmenta in suos annales inseruit ; de quibus nobis amplius disserendum.

Nestor, ut antea dixi, ad finem sæculi XI et initio sæculi XII vivebat. Nono autem sæculo litteræ slavonicæ quæ in Moraviâ, librorum sacrorum translatione, florescere inceperant, post Methodii mortem et Moravicæ ecclesiæ exitum, in Bulgariam migraverunt[6]. Ibi multa fuerunt scripta opera quorum servati sunt codices, ita ut præcipuos bulgaricæ scholæ scriptores enumerare liceat. Sanctus Clemens scripserat homilias, sanctus Constantinus de evangeliis commentaria, Athanasiique adversus Arianos opus in bulgaricum sermonem verterat.

[1] Sagis.

[2] Cap. XXIII.

[3] Cap. XVI.

[4] Vid. *Torfæus, Hist. Norvegiæ*, p. 275.

Kruze. *Chronicon Nordmannorum*, §. 171, p. 443.

[5] Vid. Cap. XIV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXXI, XLIV, XLVIII, etc.

[6] Vid. opus meum *de Cyrillo et Methodio*, cap. X.

Johannes dictus bulgariensis exarchus[1] ediderat *hexameron* quoque et homilias; cujusdam *Gregorii* exstat bulgarica translatio chronicorum Johannis antiochiensis dicti Malalæ, jussu imperatoris Simeonis confecta, magna quoque Patrum compilatio quæ Sbornik dicitur. Illa multaque hujusce modi opera in Russiam christiana cum fide penetraverunt; scimus enim, teste Nestore et omnibus documentis christianam fidem Constantinopoli Kioviam migrasse ejusque interpretes fuisse Bulgaros, sermonem imo bulgaricum sive slavonicum a Russia uti ecclesiasticam linguam acceptum esse, quæ lingua etiam hodie in Russia viget.

Hanc bulgaricam originem multi indicant codices adhuc in Russia servati quibus momen est *Mineja* (Μηναῖον), id est, vitæ sanctorum cujusque mensis, *synaxarium* id est calendarium vel mensium series; *Palœa* (Παλαῖα), vel historia priorum temporum secundum scripturas; *Paremejnik,* id est, proverbiorum (Παροιμία) delectus; *Sbornik,* id est variarum rerum collectio[2]. Ex his codicibus multa Nestor deprompsisse videtur, exempli gratia, vitam Cyrilli et Methodii quæ vulgo dicitur *legenda pannonica*[3]; Olgæ et Vladimiri conversionem.

Juxta prædictos codices multi exstant fabulosi libri quibus nomen «*fabulæ bulgaricæ*[4]» inditum est; plerique e græco sermone translati, in quibus res in scripturis narratæ ut mundi creatio, ultimum judicium variis

[1] Id est legatus episcopi, ut testantur slavonici textus apud *Glasnik societatis litterarum Belgradensis,* vol. 1, p. 161.

[2] Gallice *encyclopedie* e verbo *sebrati* colligere.

[3] Vide meum opus supra dictum *Cyrille et Methode,* etc., in præfatione.

[4] *Basne bulgarske.*

ornatæ fabulis explicantur[1] : græcas autem fabulas fabulis slavicis intexuerunt Bulgari ita ut difficillimum sit talium librorum sensum interpretari. Quidam etiam ex his libris, qui græco textu non reperiuntur, videntur slavice scripti fuisse ; eorum multi exstant adhuc indices præsertim in libro slavico dicto *nomocanone*.

Erant quoque libri ejusdem modi de bello trojano, de Alexandro, etc. His autem libris quin usus sit Nestor nemo rerum peritus dubitare potest. Unde narrationes suas deprompserit raro lectorem monet. Passim tamen Methodii Patarensis vel Johannis Malalæ, vel Georgii Hamartoli auctoritatem invocat[2]. Johannis Malalæ scripta bulgaricum in sermonem versa fuisse jam diximus ; aliorum autem slavicæ translationes non repertæ sunt. Linguæ vero græcæ omnino rudem fuisse Nestorem existimo ; ipse enim, non credo christiana tantum humilitate motus, se valde ignarum esse fatetur[3]; sed auctorum ad quos recurrit translationem bulgaricam in manu habuit, aut fragmenta in *Palæis* nactus est.

Slavonica quoque lingua scripta ante Nestorem fuisse arbitror illa Russorum cum Græcis fœdera in textum annalium recepta. Quidam contenderunt illa fœdera ficta vel ab ipso Nestore vel post Nestoris ætatem

[1] Vide Chassang, *Histoire du roman dans l'antiquité.*

[2] De bulgaricis litteris scripserunt Safarik apud Câsopis Ceskeho Museum (revue littéraire du Muséum de Prague, année 1847). — Hattala in Bohemica Encyclopedia sub voce Bulgari. — Pypine in historia slavicarum litterarum (russice), Petropoli, 1865. — Ultimus omnium Jagic, in historia serbo-croaticarum litterarum, Zagrabiæ. (Agram, 1867). — Plerique palæo-bulgarici codices nondum in lucem venerunt.

[3] Apud Paterikon.

fuisse; quibus optime respondet Miklosich slavonicarum rerum optimus arbiter.

« De fœderibus factis cum Græcis, confitemur nos
» non intelligere quomodo hæc fœdera, paucissimis
» exceptis, continentia nonnisi nomina scandica fingi
» potuerint post Nestoris ætatem, Russis, tam brevi
» tempore, oblitis hæc nomina. Affirmanti vero ficta esse
» aut a Nestore, aut saltem ætate Nestoris, respondebimus
» fictionum ætatem in Russia longe esse recentiorem
» sæculo decimo. » (Mikl. Proleg. P. IX.)

Omnibus his supra dictis documentis usum fuisse Nestorem ex ipsis annalibus constat. Græcis, id est, bulgaricis libris non certe indigebat monasterium peczariense utpote quod a Constantinopolitano quodam monacho suas regulas acceperat. Nestor autem etsi simplex et ignarus multa legerat; magnum enim librorum studium profitetur. Cum principem Jaroslavum vult laudare: « Princeps Jaroslav, ait, multos collegit codices, multos e græco sermone in linguam et scripturam slavonicam vertendos curavit: » et alias: « Multum librorum scientia tibi proderit... nos enim ædificant... flumina sunt quæ totum orbem irrigant... sunt sapientiæ fontes, in illis est mira altitudo: sunt solatium doloris, temperantiæ frenum. » Nonne te vocem romani oratoris litteras laudantis audire credas[1]?

Hæc addit scriptor: « qui sæpe libros (sacros) legit in commercio Dei et sanctorum versatur: qui legit prophetarum orationes, evangelistarum et apostolorum præcepta et Patrum vitas, multum proficit. »

Hinc vides quos libros assidua manu noster auc-

[1] Cap. IV ad. ann. 1017. — Cf. Cicer. pro Archia.

tor versaverit : multa ex eis ad verbum transcribit, utrum sit locus necne parum curans. De Nestore quoque dici potest : « *unus et alter assuitur pannus.* » Non solum e veteribus codicibus multa desumit, sed etiam æqualium aut fere æqualium narrationes in chartas, ut inscius, transfert. Exempli gratia, sub capite LX ad annum 1065 narrat quomodo monstrum quoddam[1] e flumine Sitomla a piscatoribus extractum sit; ait autem : « usque ad vesperum ad flumen descendimus (id est, nos monachi) ut portentum illud spectaremus. » Anno vero 1065, Nestor vix nonum annum agebat; eum de se ipso loqui non facile credas; namque si spectator ipse fuisset, teneram ætatem suam sine dubio memoravisset : potius igitur existimandum est, rem illam portentosam a quodam monacho teste scriptam fuisse, transcriptam vero a Nestore qui non animadvertit se eo tempore nondum inter monachos receptum fuisse.

Ad annum 1097, longa legitur narratio rerum in quibus primas partes egerat monachus quidam nomine Basilius. Qui de se ipso loquens prima persona semper utitur. Illum et Nestorem eamdem fuisse personam nihil omnino demonstrat; nusquam enim legitur Nestorem apud principes russicos negotia gessisse, aut Basilium cognominatum fuisse. Ea vero facta quæ fusius Basilius explicat, ad annos 1098, 1099, 1100 brevius memorantur.

Verisimile est Basilium vel sponte sua vel ipso precante Nestore facta quorum testis et pars fuerat chartis mandavisse; Nestor vero totam Basilii narrationem nulla mutata voce, in chronica sua recepit, ad instar

[1] Puer qui virile membrum medio vultu gerebat.

eorum Homericorum nuntiorum qui omnes heroum orationes ad verbum referunt; nec alioquin illa narratio posterior intercalatio existimanda est cum antiquissimis in codicibus reperiatur et Nestor ipse ad illam (ann. 1098) se referat.

§ III.

Valde errat qui Nestori *historici* nomen dare velit : inter Livios et Thucydides et nostrum kioviensiem monachum nulla est similitudo : illorum artis scribendi magistrorum ne nomen quidem novit : byzantinis modo chronographis comparari possit ; quorum bulgaricas tantum translationes in manu habuit. Chronica nec in libros nec in decades dividuntur : XCIII paragraphos continent breviores vel longiores secundum rerum gravitatem. Chronica proprie dicta § XIII incipiunt. In primis duodecim Nestor ut plerique medii ævi scriptores gentium originem explicat : narrat ut post diluvium tres filii Noe inter se orbem terrarum dividerint, ut Japheto LXXII populi contigerint inter quos Slavicus adnumeratur : horum populorum nomina mutuatur Nestor e chronicis Johannis Hamartoli monachi quorum bulgaricam versionem in promptu habebat ; textum Hamartoli non ad verbum sequitur Nestor : exempli gratia ad vocem *Iliourik* (Illyricum) addit *Slovenia;* putat enim Illyricum a Slavis antiquitus habitatum fuisse. Forsan glosam hanc e bulgarica translatione desumpsit. Venit deinceps enumeratio fluminum et gentium septentrionis et subobscura Slavorum historia. Narrat

Nestor ut e Danubii littoribus ad septentrionales regiones primo sponte sua, dein urgentibus *Vlokhis* (id est Celtis vel Latinis) migraverint. Vivendi morem Slavicæ gentis in nova patria depingit : de Polanis cum singulari amore loquitur, ita ut jure ex ea gente oriundus videatur : viam describit quæ antiquis temporibus, e Scandinavia usque ad Græciam secundum flumen Dnieprum ducebat : sanctum Andræam primo post J.-C. sæculo regiones illas lustravisse refert, et futuram nationis russicæ conversionem prædixisse. Kioviæ dein origines repetit : nomen hujus urbis vicinorumque montium explicat nomine trium fratrum quorum unus Kij, majorum memoria, urbem condidit. Variorum populorum Ugrorum, Obrorum incursiones parum clare exponit : ad morum descriptionem reversus variorum populorum vivendi rationem, Hamartolo duce et auspice explicat. Excursus nempe amat et libentissime in chronica sua inserit.

In illis duodecim paragraphis Nestor ethnographiam et geographiam regionis suæ exponit : unusquisque longi egeat commentarii ; cujus non hic est locus. Transit dein ad chronologiam. Annos a mundi creatione usque ad mortem Sviatopulci numerat : Ab Adamo ad diluvium 2224, a diluvio ad Abrahamum 1082, ab Abrahamo ad Moïsis exodum 403, a Moïsis exodo ad David 601, a Davido ad Hierosolymæ vastationem 318, ab Alexandro ad Christum natum 333, a Christo nato ad Constantinum 318, a Constantino ad Imperatorem Michael 542, a Michaele ad Olegum 23, etc....

Christum igitur natum anno 5508 a mundi creatione admittit Nestor : quæ quidem chronologia ni fallor, a

Byzantinis accepta erat. Anno 6360, id est 852, primum nominantur Russi. Ex illo anno Nestor annorum seriem scribere incipit : duodecim primi paragraphi qui proœmii locum tenent nullam annorum ferunt indicationem : in aliquot codicibus desunt; in aliquot separatim leguntur. Ad paragraphum XIII merito referri potest titulus initio operis inscriptus : « Hæc est historia veterum temporum, unde venerit terra russica, quis primus Kioviæ regnaverit, unde Russica terra ducat suam originem. » Usque ad annum 1051 Nestor annos tantum indicat : diem modo principum mortis refert ; ab anno 1051 quo in monasterium receptus est : diem et mensem, etiam aliquoties horam gravioris cujusque eventus refert.

Chronica secundum annorum seriem sequi non tentabo : vel summarium dare difficillimum est ; nullum enim ordinem, nisi chronologicum admittit noster scriptor : bella, pestes, signa cœlestia, principum mortem, miracula, sub eodem anno sine ullo discrimine congerit ; lectorem modo Kioviam, modo Pereiaslaviam, modo Muromum ut hispanici tragœdiarum scriptores transfert. Narratio modo brevis et sicca, modo diffusa et luxurians.

Nestor sæpius simpliciter et aride narrat ; at apud illum studium scripturarum ariditatem chronicorum temperat : quotiescumque potest personas suas (nec tantum homines sed hominum quoque cœtus) loquentes inducit. Quæ quidem scribendi ratio mihi e Bibliæ libris historicis desumpta videtur.

Liceat mihi exempla quædam præbere et gallica uti versione quam aliquot jam abhinc annis in promptu

habeo. Gallica translatio quæ jam apud nos exstat omnem auctoris nostri colorem mutavit, multaque omisit ita ut verum Nestorem nondum cognoscere licuerit. Forsan qui fragmenta nostra cum præcedenti translatione comparabit jam de illa recte judicare poterit : quod quidem latina oblata versione difficilius sit :

« Alors les Varègues dirent à Vladimir : cette ville nous appartient : nous l'avons conquise, nous voulons qu'elle se rachète à raison de deux grivènes par homme. Et Vladimir leur dit : Attendez un mois, qu'on ait recueilli les peaux de martre. Ils attendirent un mois, et il ne leur donna rien. Et les Varègues dirent : Tu nous a trompés : montre-nous le chemin de la Grèce. Il leur dit : allez, et il choisit parmi eux des hommes bons, sages et vaillants, et il leur distribua les villes. »

Longas et fictas orationes non admittit Nestor [1]; nullam russicis *concionibus* materiam præbere possit ; personarum imaginem describere omittit, vel paucissimis tantum verbis effingit :

« Jaroslav était beau de visage, haut de taille, de mœurs irréprochables ; il haïssait l'injustice, aimait la justice : il était exempt de ruse et de dissimulation. Il était bienveillant et ne rendait pas le mal pour le mal. »

Si quis princeps moritur pietate et fide insignis obitum ejus Nestor funebri laudatione biblicis fragmentis referta prosequitur. Olgæ et Vladimiri panegyricum hic dare non inutile erit, quum in gallica domini Paris versione omnino deficiat :

« Olga mourut : ses fils et ses petits-fils la pleurèrent amè-

[1] Semel tantum Græcum introducit qui Vladimiro longissima oratione Christianiæ fidei historiam et doctrinam exponit. Est autem excerptum ex aliqua *Palæa* vel *Sbornikio*.

rement... Elle fut le précurseur du christianisme en Russie comme l'aurore est le précurseur du soleil, comme l'aube est le précurseur de l'aurore. Comme brille la lune au milieu de la nuit, elle brilla au milieu du peuple païen. Elle était comme une perle au milieu de la fange : car le peuple était dans la fange de ses péchés et n'était pas encore purifié par le baptême. Elle se purifia dans un bain sacré et dépouilla le vêtement des péchés de l'ancien homme Adam et revêtit celui du nouvel Adam qui est le Christ. Aussi nous lui disons : réjouis-toi d'avoir fait connaître Dieu à la Russie : car tu as été le principe de l'alliance de Dieu avec elle. C'est elle qui la première est montée de la Russie au royaume céleste. Les fils de la Russie la célèbrent comme leur mère, parce que, après sa mort, elle a prié Dieu pour la Russie. Or les âmes des justes ne meurent pas. Comme l'a dit Salomon : les peuples se réjouissent de la gloire du juste. Sa mémoire est immortelle, elle dure auprès de Dieu et chez les peuples. Tous les hommes célèbrent cette princesse, voyant ses reliques intactes depuis de longues années. Car le prophète a dit : je glorifierai ceux qui me glorifient. David a dit également : le juste sera dans une mémoire éternelle, il ne craindra pas les mauvaises paroles. Son cœur est prêt à espérer en Dieu ; son cœur est affermi et il ne sera pas ébranlé. Salomon a dit encore : les justes vivent éternellement et ils sont récompensés et glorifiés auprès du Tout-Puissant : ils recevront le royaume de beauté et la couronne de bonté des mains du Seigneur : il les couvrira de sa droite, il les protégera de son bras. Or il a protégé la bienheureuse Olga contre le diable son ennemi et son adversaire. »

Audite nunc illam Vladimiri laudationem funebrem :

« Quand le peuple eut appris la mort de Vladimir, une foule innombrable se répandit par la ville et le pleura, les boïars comme le défenseur du pays, les malheureux comme leur bienfaiteur. Puis ils mirent dans un cercueil de marbre et enterrèrent avec de grands gémissements le corps du bienheureux prince. C'est un nouveau Constantin de la grande Rome qui

s'est converti, lui et les siens. Vladimir avec son peuple a fait comme Constantin. Il était d'abord païen, animé de passions abominables : il s'est plus tard repenti. Comme dit l'apôtre, quand les péchés augmentent, la grâce devient plus abondante[1]. Si donc il a d'abord péché quelquefois, vivant dans l'ignorance, plus tard cependant, il s'est distingué par son repentir et ses aumônes ... etc[3].

« C'est chose merveilleuse combien il a fait de bien à la Russie en la baptisant. Nous donc, devenus chrétiens, rendons-lui un honneur digne du bien que nous en avons reçu. S'il ne nous avait pas baptisés, nous serions maintenant dans les embûches du diable où ont péri nos ancêtres. Si nous avions eu soin de lui et que nous eussions prié Dieu pour lui au moment de sa mort, sans doute le Seigneur voyant notre zèle l'aurait glorifié. Nous devons donc prier Dieu pour lui : car c'est par lui que nous avons connu Dieu. Puisse-t-il te donner le royaume des cieux que tu désirais, la couronne des justes, le rafraîchissement et les joies du paradis. Puisse-t-il t'associer à Abraham et aux autres patriarches, suivant ce qu'a dit Salomon. Quand l'homme juste meurt, l'espérance n'est pas perdue[2]. Les Russes se le rappellent quand ils songent à leur conversion : ils louent Dieu dans leurs prières, dans leurs chants, dans leurs psaumes et célèbrent Dieu : peuple nouveau, éclairé par l'Esprit-Saint, ils espèrent dans le grand Dieu, dans Notre-Seigneur Jésus-Christ, qu'il donnera à chacun suivant ses actes une joie ineffable. Puisse cette joie être le partage de tous les chrétiens ! »

Hic habes duo tantum specimina Nestoris eloquii; vides quam sit rude et abruptum. Nestor non scribit modo ad narrandum : ex omni facto bono vel malo occasionem sumit præcepta pietatis et fidei tradendæ. Quemadmodum bonos principes ad cœlum lyrica qua-

[1] Paul. ad Rom., v. 120.
[2] Prov. XI, 7.
[3] Duas paginas hic omitto.

dam exsultatione effert, ita pravos homines aut mala consilia reprehendit et corripit :

« Blud trahit son prince en faveur de Vladimir : O maudite ruse des hommes ! Comme dit David : Celui qui mangeait mon pain m'a tendu un piége[1]. Car cet homme tendit un piége à son prince. Et encore : Leurs langues m'ont trompé, juge-les, Seigneur : qu'ils tombent du haut de leurs pensées : chasse-les en raison de leurs impiétés. Car ils t'ont irrité, Seigneur[2]. David dit de même : les hommes de sang et de trahison n'arriveront pas à la moitié de leur carrière[3]. C'est un mauvais conseil que celui qui conseille l'effusion du sang. Ce sont des insensés que ceux qui ayant reçu de leur Seigneur de l'honneur et des présents méditent la ruine de leurs princes. Ces hommes sont pires que les démons. »

Dei nomen sæpius a Nestore scribitur : Deus ejus numen est illud biblicum quod rebus humanis intervenit ; illum ubique præsentem ostendit chronographus :

« Oleg dit à Boris : ne marchons pas contre eux. Nous ne sommes pas capables de tenir tête à quatre princes : mais envoyons prier nos oncles. Boris lui dit : Veille seulement ce qui est prêt : moi je résisterai à tout : *il se flattait et il ne savait pas que Dieu est contraire aux orgueilleux,* et aime les humbles afin que le fort ne s'enorgueillisse pas de sa force. »

Deo autem opponitur altera persona diabolus. Diabolus apud Nestor apparet ut in scripturis : nec de ejus consiliis aut insidiis tantum fit mentio, sed ipse agit, loquitur, et partes suas in historia tenet :

« Vladimir alla à Kiev et il offrit des sacrifices aux idoles... les boïars dirent : Tirons au sort un jeune homme et une jeune fille, et celui sur qui tombera le sort sera immolé aux dieux...

[1] Ps. XI, 10, 2.
[2] Ps. V, 2.
[3] Ps. LIV, v. 24.

Il y avait un certain Varègue, il était chrétien en secret et il avait un fils beau de visage et d'âme. Le sort tomba sur lui par la haine du démon : car le démon ne pouvait le souffrir, lui qui a pouvoir sur tout : et cet enfant lui était comme une épine dans le cœur. Il s'efforça donc, le maudit, de le faire périr et il excita le peuple... Le peuple tua cet enfant. Le diable se réjouit de cet événement, ne sachant pas combien sa ruine était proche. Il s'efforçait d'anéantir la race chrétienne, mais il fut chassé par la croix sainte. Il pensait en lui-même : ceci est ma demeure; car ni les apôtres n'ont enseigné, ni les prophètes n'ont prophétisé ici. Il ne savait pas que le prophète a dit : J'appellerai miens ceux qui ne sont pas miens, etc. »

Alias :

« Jaroslav voulut combattre son père, mais Dieu ne donna pas au diable cette satisfaction. »

Postquam narravit ut jussu Vladimiri omnis populus russicus in aqua Dniepri baptizatus sit, exclamat :

« Et c'était une joie dans le ciel et sur la terre, de voir tant d'âmes sauvées. Or le démon gémissant disait : Malheur à moi! Me voilà chassé d'ici : je pensais établir ma résidence ici, parce que les apôtres n'y ont point enseigné et que le peuple ne savait rien de Dieu. Je jouissais seul du culte qu'on m'offrait, et me voilà vaincu par des ignorants, non par les apôtres ou par les martyrs. Je ne régnerai plus en ces lieux. »

Diabolus igitur omnibus rebus vel publicis vel privatis immiscetur. Fusius refert noster auctor ut monachos peczariensis monasterii in tentationem induxerit, ut magos in hanc vel illam regionem miserit, etc. Quæ omnia vel ipse vidisse credit, vel ab aliis audivit. Superstitionem suam firmat locis e Georgio Hamartolo vel Methodio Patarensi desumptis, quæ ad Simonem magum vel ad Apollonium Thyanensem spectant. Quid memorem portentosos partus, flumina retrorsum fluentia, solis defec-

tiones, signa cœlestia ? Talia Nestor non modo accipit ac refert, sed etiam ut volontatis divinæ nuntios interpretatur. Ipse autem etsi tam credulus, se superstitiosum esse negat, temporisque sui superstitionem vehementer increpat. Memorata quadam Polovtsorum incursione, asserit feram hanc nationem in terram russicam ob ejus peccata a Deo dimissam fuisse, et more suo aliquot lineas homiliæ addit :

« Ne nous appelons pas chrétiens en paroles, vivant en païens; or, ne vivons-nous pas en païens, quand nous croyons à l'influence des rencontres! Car si quelqu'un rencontre un moine. il retourne sur ses pas comme s'il avait rencontré un sanglier ou un cochon [1]. N'est-ce pas agir en païens? C'est vraiment suivre les doctrines du diable, que de tenir à de telles superstitions! D'autres croient à l'éternuement. Ainsi le diable se manifeste dans ces habitudes et dans d'autres, nous éloignant de Dieu par toute espèce d'artifice, avec des trompettes et des prestiges, des lyres et des fêtes magiques. Nous voyons les lieux des plaisirs encombrés d'une foule qui s'y presse pour contempler les spectacles inventés par le démon, et les églises demeurent vides, et quand vient l'heure des offices on trouve peu de fidèles dans le temple. Aussi toutes sortes de châtiments nous attendent de la part de Dieu. »

Credulus et simplex fingendi artem Nestor ignorat : illius liber ut fidele speculum veram reddit nobis mundi varego-slavici imaginem. Hinc principes circumdati sociorum cœtu sive *drujina,* illinc monachi et hegumeni, infra populus anarchiæ ut Slavos decet amans, tales sunt præcipuæ Nestoris personæ; omnes vivunt et agunt, sentiunt : homines habes ante oculis ; Nestor virtutes et vitia eodem calamo describit : morum feritatem non dissimulat. Apud juvenem populum luc–

[1] Hujusmodi superstitio adhuc exstat in Polonia.

tatur adhuc cum prima asperitate nova christianæ fidei mansuetudo, cum Slavica integritate Scandinavica aviditas. Rapinarum, victus et potus cupida *drujina* [1] principem regit et in bella secum trahit. Vulgares appetitus et libidines Nestor sincere exponit. Audiamus illum Vladimiri conversionem narrantem:

«Ad an. 6494. Il vint à Kiev des Bulgares de la foi mahométane disant : Prince, tu es sage et prudent et tu n'as point de religion. Prends notre religion et rends hommage à Mahomet. Et Vladimir dit : Quelle est votre foi ?, Ils dirent : Nous croyons en Dieu, et Mahomet nous apprend à circoncire les membres honteux, à ne point manger de porc, à ne point boire de vin et à faire débauche après la mort avec des femmes. Vladimir les écouta : car il aimait les femmes et la débauche. Il les écouta avec plaisir : seulement ce qui lui déplut, c'était la circoncision et l'abstinence de porc et de vin. Il répondit : Le vin est agréable aux Russes : nous ne pouvons vivre sans en boire.»

Nestor nunquam obliviscitur laudare principem ut qui suis comitibus (drujinæ) cibum et potum abundantem præstiterit.

Quod ad ejus scribendi genus attinet, componendi artem omnino ignorat, annorum ordinem sequitur et ut jam diximus quoque anno digna memoriæ facta notat. Etiam factorum absentiam indicat. Ex. gr. « Anno 1029 fuit pax. » At res tantum fusius explicat quarum documenta in manibus habuit ; si forte eloquentiam attingit, illam e rei visceribus exhaurit, non autem quæsivit. Longe fide dignior est quam primi rerum polonicarum scriptores, Gallus et alii pulchrarum fabularum amantes.

[1] Drujina e Slavica voce *drug* amicus idem est quod germanica truste.

De variis opinionibus numquam disputat[1], sed potissimam eligit. Vir probus est quanquam non dicendi peritus. Qui in chronicis notantur errores parvi sunt ponderis. In numero annorum quod a Bulgariæ et Græciæ imperatores attinet aliquoties errat. Linguæ græcæ ignarus est, unde fit ut fœdera græco-russica tam obscuro stylo nobis tradiderit. Scandinavicam linguam ignorat[2]. His tantum exceptis maculis fide dignissimus videtur. Cum chronicis multa concordant documenta ejusdem vel anterioris vel posterioris ævi : ut apud Russos slavonice scriptum Evangelium Ostromiri (1096), testamentum Vladimiri monomachi et ejusdem ad Olegum epistola (1113-1125), poema de bello Igoris, etc., apud extraneos Constantinus Porphyrogenetes, Eymundi Saga, Leo Diaconus, Liutprandus, etc. Cum quibus textum Nestoris conferre non mihi in animo est : arduus enim ille labor non in hujusce modi opusculo tentandus. Quæ refert de cometis aut solis defectionibus tabulæ testantur astronomicæ. Non immerito igitur dictus est pater russicæ historiæ. Quantum valuerint apud veteres Russos chronica judicare potes e numero exemplarium quæ adhuc exstant. Annales præcipuarum urbium vel regionum, Pskovienses, Novogorodienses, Volhynienses in omnibus codicibus antecedit Nestor. A scriptoribus russis vocitari solet *naczalnaia letopis*, id est *principale chronicon*.

[1] Semel tantum de loco ubi fuit baptizatus Vladimirus tres refert opiniones.

[2] Ex voce scandinavica Oskyld peregrinus (Oskyld Dir, peregrinus Dir), creatus est rex quidam Oskold quem Nestor ut personam historicam accipit. Patet autem ex arabicis documentis unum exstitisse Dir : nec Oskyldi fit ulla mentio.

Non in Russia tantum, sed in vicina quoque Polonia magna fuit Nestoris auctoritas. Illustris rerum Polonicarum scriptor Longinus jam ætate provectus slavonicas litteras didicit ut Nestorem legere posset, eoque sæpe usus est[1]. Multum Nestori debuerunt alii polonici scriptores ut Bielski, Kulczynski, etc. Scimus apud Germanos Leibnitium quoque de Nestore et ejus annalibus audivisse [2] easque comparandas curavisse. Sæculo tantum XVIII noster auctor in lucem prodiit.

§ IV

Qua lingua usus sit Nestor non inutile est definire, tres enim populi illum sibi certatim vindicaverunt: Poloni [3], Rutheni et Russi. Sed, ut omnem verborum cavillationem vitemus, plane declarabimus Nestoris ætate nullas fuisse *proprie* polonicas, russicas sive ruthenicas litteras. Poloni enim latine scribebant; Russi autem et Rutheni, nundum inter se, ut puto, distincti, lingua slavonica ecclesiastica utebantur, vulgari neglecta.

Lingua vulgaris non ante sæculum XVIII a scriptoribus russicis aut ruthenicis culta fuit [4]. Poloni quidem contendunt Nestorem Polanum esse, polanam vero gentem eamdem fuisse ac polonicam. De hac quæstione

[1] Longinus sive Dlugosz (dlugy polonice longus), celeberrimus rerum polonicarum scriptor. Sæculo XIV vivebat.

Textum Nestoris non semper bene legit Longinus ut demonstravit Karlowicz in opusculo; *Quæstiones historiæ polonicæ sæculi XI*. Berolini, 1866.

[2] *Journal des Savants*, loco citato.

[3] VideVyszniewski, Bartoszewicz, — *Historyja litteratury Polskiej*.

[4] Rutheni sive Malo-Russi quorum caput erat Kiovia. Russi aut Veliko-Russi quorum caput Moskva.

disputare omitto; satis enim constat Kioviam urbem ruthenicam esse; unde sequitur Nestorem Ruthenum fuisse, slavonice scribentem, quemadmodum gallici vel italici monachi latine scribebant[1]. De lingua Nestoris optimus judex Miklosich edidit dissertationem cujus summarium est[2]: « Scripsit Nestor lingua slavonica quam ex libris *liturgicis* didicerat; ea lingua non eadem est ac lingua malo-russica, sed Nestori ab illa non videtur differre. Nestor enim ait ipse « slavonicus sermo et russicus idem est[3]: » lingua Nestoris russico-slovenica vocari potest[4]: modo enim Slavonicæ linguæ quasdam observat regulas, negligenter tamen, ut monachi ejusdem ævi qui linguæ latinæ leges male sequebantur; modo russicas locutiones admittit, quod sæpius amplius-que imitati sunt posteriores librarii. » Nihil ergo, quod ad linguam Nestoris attinet, certum, cum diversi inter se differant codices. Vix exstat orthographia : syntaxis deficit : *phonologia* et *morphologia*[5] sæpius violantur. Hæc omnia corrigere Nestorisque opus ad integram puritatem restituere conatus est Miklosich in sua editione. Inde accusatus est sibi, in hoc incepto, nimis indulsisse; alterumque Nestorem finxisse. De editione illa infra loquemur.

§ V

Multos Nestoris codices antiquitus exstitisse et scrip-

[1] Vide Pypine. *Historia Slavianski Litteratur*, p. 206, 207 (russice).
[2] De lingua slavonica alias locutus sum. — Vide Cyrille et Méthode, chap. XIII. Dissertationem Miklosichii vide apud *Sitzungsberichte der philologisch hist. Classe des Kais. Akademie der Wissenschaften*, vol. XIV.
[3] Slovinski iazik i ruski ieden
[4] *Slovenica* id. est Slavonica. Ea vox Miklosichio, non autem omnibus grammaticis potior videtur.
[5] Lautlehre et formenlehre.

torum manu versatos esse jam supra diximus. Sero tamen prima editio annalium in lucem prodiit quam aliquot secutæ sunt. Omnes nunc ordine perlustrabimus.

1° Editio princeps, 1767 Petropoli, in-4°. Textum sequitur imprimis Radzivillensem : erroribus scatet : apud veterum librorum amatores tantum valet.

2° Nestor, Russische annalen in ihrer slavonischen grundsprache verglichen, ubersetz und erklart von August Ludwig Schlœtzer. Gœttingen. Theile 1-5. 1802-1809. Editio illa Nestoris textum, latinis typis, sed tantum ad annum 980, id est, quartam vix annalium partem continet : opus optimum ut a Germano, in tanta rerum slavicarum ignorantia, vulgatum, caute tamen hodie legendum, vel potius non legendum. Optimos nempe textus non novit Schlœtzer qui præterea linguæ slavonicæ parum erat peritus. Translatio igitur sæpe peccat : commentarium ditissimum est, at hodie magna ex parte obsoletum : commentarii auctorem non satis usum esse polonicis chronicis dolent Poloni [1]. Schlœtzerii opus russicam in linguam vertit Jazykov [2]. Codicem regiomontanum secutus est Schlœtzer.

3° Editio Timkovsky, Moskvæ 1824, in-4°, ad annum 1019 perducta : textum sequitur Laurentinum : parum adhuc probabilis.

4° Polnoe sobranie, etc... id est, Collectio chronicorum russicorum supremo jussu edita, curante concilio *archæographico*. Tomus I et II textum Laurentinum et textum Troitsky continet. Petropoli 1846, in-4°. Editio

[1] Ex. gratia Lelewell et Bielowski.

[2] Petropoli, 1809.

illa, etsi priores superat, longe tamen abest a perfectione. Concilium, ut jam diximus, multos ex diversis imperii partibus collegerat codices; non tamen illud ædificavit monumentum quod docti sperabant; judicium enim et cura sæpius operi desunt. Concilium, ut optimum codicem, accepit Laurentinum; sed locis desumptis ex aliis codicibus ea supplet quæ deficere videntur, et ad calcem varias lectiones rejicit: quod quidem optimum esset si totum opus sibi constaret; at priores tantum paginæ accurate editæ sunt, cætera vero magnam culpant negligentiam. Non cura modo sed bona fides editoribus deest; exempli gratia: fert codex Laurentinus Rurikum ad lacum Ladogam advenisse; posteriores autem codices ad urbem Novogorod. Editores petropolitani ad posteriores codices recurrunt et Novogorod in locum lacus Ladogæ subdunt; namque semper Russiæ imperatoribus placuit demonstrari Novogorod primam principatus russici sedem fuisse, antiquæ vero hujus reipublicæ libertatem oblivione silentioque obrui. Inde fabula quæ Rurikum ad Novogorod ducit; nunc autem intelligitur cur ea fabula in editionem imperialem recepta fuerit: quod quidem Russiæ doctis non est honori; scientia enim tantum veritatem amat, nec regum consiliis inservire studet. Illa igitur editio non est inter optimas habenda. Orthographia deest: typi sunt russici, quod ad linguam cyrillicam[1] male convenit: charta ipsa mediocris et tali editione parum digna. Nec indicem nec annotationes reperias. Hinc vides quantum laboris posteris reliquerint imperiales editores. In ipsa etiam Russia hoc opus severe judicatum est.

[1] Typi russici non ante Petrum magnum usitati a cyrillicis differunt.

Diarium ministerii publicæ educationis, *Jurnal minist. Narodnago Prosvieszczenia* vol. 98. II. 68 ait : « Editor collectionis russicarum annalium Berednikov, etsi multa de scientia bene meritus, non habuit ipse tantum temporis ut editioni suæ sufficientem curam impenderet, nimisque suis adjutoribus confidit. Ea, censeo, causa est cur methodi defectus, infidelitas in textu transcribendo, contradictiones in interpretatione sæpius occurrant in hoc opere quod tantam diligentiam requirebat. »

5° Chronica Nestoris, textum russico-slovenicum [1] edidit Miklosich, in-8°, Vindobonæ.

Editor textum quoque Laurentinum sequitur, nimis autem fideliter, nam in ipsum textum haud dubia interpolamenta inseruit, quod ipse quidem fatetur [2].

Primus, Nestoris textum ad regulas grammaticæ reducere tentavit : arguitur autem, ut jam supra diximus, ipse sibi nimium confidisse : quædam recte, multa liberius corrigit [3]. Textum tria sequuntur additamenta quorum nemo negabit utilitatem : 1° *Loci chronicorum*

[1] Id est slavonicum : Miklosich nempe hodiernam linguam slovenicam a prisca slavonica minime differre existimat. — Vide ejus *Lautlehre*.

[2] Cap. LXXX.

[3] Exempli gratia non admittit Nestorem nasales slavicas vocales quæ in lingua Slavonica olim, in polonica hodie exstant novisse. Recentior autem editor Bielowski gravissimis exemplis Nestorem his nasalibus uti debuisse demonstravit. Grammaticæ Slavicæ curiosos ad dissertationem supra dictam Miklosichii ejusque præfationem et *Lautlehre*, et Bielowski præfationem remittimus.

Præfatio Miklosichii latine scripta doctissima quidem, sed linguæ slavicæ rudibus parum credo voluptatis afferet ; multa in ea desunt : Miklosich præter grammaticam nihil aut fere nihil curat. De illa Editione severe judicaverunt Bielowski op. cit. p. 548 ; Encyclopedija powszechna, *Encyclopædia Polonica* voce Nestor, Erben in præfatione, p. 16, etc.

Nestoris deprompti e scriptoribus græcis. 2° *Nomina propria scandicæ originis.* 3° *Notæ criticæ.*

Huic editioni translationem latinam et glossarium subjungere pollicitus erat Miklosich ; octavus jam effluxit annus, nec implevit promissa ; quod quidem, ingenue fatebor, non doleo ; translatione enim latina, gallicæ translationis omnis honor tolleretur : est autem illustrissimi hujus grammatici promissa dare et oblivisci : Annis 1862-1865, edidit Vindobonæ Lexicon *palæo-slovenico-græco-latinum ;* in præfatione primi voluminis scripta decembre 1861, pollicetur se de hujus operis consilio et fontibus copiosius locuturum esse : quodquidem necessarium; in epilogo martio mense 1865 edito, scribit se suo tempore *de his rebus* disputaturum : tempus illud nondum advenit.

In hac editione jure laudari potest cyrillicorum typorum pulchritudo.

6° Latopis Nestora edidit Kotkowski, Kioviæ 1862. Laurentinum codicem secutus est typis latinis transcriptum ; non excedit annum 980 : specimen tantum, ut ait auctor, sed parvi momenti.

7° Apud Bielowski, Monumenta Poloniæ historica : Pomniki Dziejowe Polski. Lwow (Leopoli) 1864, tom. 1, Augustus Bielowski in Galicia, anno 1806 natus, inter poetas et scriptores historiæ polonicæ optimum tenet locum. Anno 1850 edidit suam *introductionem criticam* in historiam Poloniæ [1], opus immensa audacia, nec non vasta eruditione insigne : posterius novam curavit editionem magni vocabularii polonici, auctore Linde ; multos annos impendit præparandæ monumentorum

[1] Wstep krytyczny do Dziejow Polski.

polonicæ historiæ collectioni quæ inter præstantissimas hujus sæculi, dummodo perficiatur, eminebit. Nestoris annales in primo volumine a pagina 521 ad paginam 835 continentur. Textum hypaticum sequitur Bielowski variis auctum lectionibus; præcedit luculenta dissertatio: nomina propria index continet. Paucissima ergo in hac editione desideranda mihi videntur.

Ex illa recensione videmus duas tantum Nestoris bonas esse editiones, Miklosichii scilicet et Bielowski. Qui ad alias recurret parum sibi et aliis proderit.

Quædam nunc, ut operi finem faciam, verba de variis annalium translationibus dicenda sunt.

A. Translationes germanicæ. Ante Schlœtzerium translatio edita est quædam Nestoris quam ne mentione quidem dignam esse puto [1]; de translatione Schlœtzerii eadem, quæ de textu et commentario, dici possunt. Post Schlœtzerium edidit Muller. Berolini, 1812. Altrussische geschichte nach Nestor. Parum probabile opus.

B. Polonicæ. Kotkowski Nestorem usque ad annum 984 satis fideliter vertit. Apud Bielowski Ruthenus Vahylewicz dedit translationem polonicam elegantem quidem sed celerius confectam : quid facile intellectu, quid difficile esset auctor non satis pensi habuit, sæpe verbum ad verbum transfert et sensum parvi facit : obscuras voces slavonicas *polonice* transcribit, nec reputat vocem mera transcriptione clariorem non fieri.

C. Bohemicæ. Nestorem Bohemico sermone edidit

[1] Vide Daunou. *Journal des Savants*, loco citato.

Erben Pragæ, 1867, in-8°. Sumptibus Maticæ id est societatis litterarum bohemicarum.

Erben inter optimos *Slavizantes* habetur. Translatio ejus cum præfatione et indice brevi quidem sed exacto, polonica longe melior est : sola nomine translationis vere digna est. Textum sequuntur maximi pretii notulæ in quibus novas reperies lectiones locorum quos nemo ante Erben intelligere potuerat.

De gallica translatione quam apud Heidsloff et Campe edidit, anno 1834, Ludovicus Paris, satis est dicere auctorem parum slavonicæ linguæ peritum fuisse. Exempli gratia slavonicum adjectivum peczersky, (peczariensis), substantivum nomen esse existimat et scribit ubique : *le monastère de Peczersky ;* quod quidem absurdum est, perinde ac si quis « ciceroniana oratio » gallice verteret « *la harangue de Ciceroniane.* » Omnem auctoris colorem mutavit. Recte et indulgenter dicit ea de translatione bonus judex princeps Galitzin [2]:

« Elle a été faite sur un texte peu exact ; il serait fort à dé-
» sirer qu'on en entreprît une nouvelle, en s'appuyant sur les
» travaux de la commission archéologique de Saint-Péters-
» bourg. »

Quid valeat ista editio petropolitana jam supra diximus : editionibus autem freti Miklosichii et Augusti Bielowski, nec non bohemica translatione et annota-

[1] Erben Karolus egregiis notus carminibus bohemicis et *criticis* dissertationibus de Slavicis fabulis et optima earumdem fabularum collectione, editor regestorum Bohemiæ et Moraviæ : nunc præparat editionem operum bohemicorum J. Huss, cujus duo volumina jam in lucem prodierunt.

[2] Bibliographie Didot, art. *Nestor.*

tionibus Caroli Erben, arduum novæ translationis opus tentare et perficere ausi sumus, quod quidem brevi, Deo juvante, in lucem edetur [1].

[1] Varias inter dissertationes quæ ad Nestorem pertinent multa in diariis russicis dispersæ exstant quas non in manu habui; sed legere potui eruditissimam quamvis superfluentem Pogodini dissertationem russice scriptam: Hujus opusculi ea inscriptio est : *Nestor istoriczko-kriticzkoe razsujdenie Moskou, 1839.* Germanice quoque editum est Petropoli, 1844, sub hoc titulo : *Nestor, Eine historiche Kritische Untersüchung über der Anfang Rüssichen Chroniken ubersetz von F. Lowe.*

ERRATA

Page 3, ligne 6, au lieu de : *disserendo,* lisez *disserens.*
— 4, ligne 18, au lieu de : *additur,* lisez *legitur.*
id. 20, lisez *Polycarpi.*
Page 5, ligne 5, au lieu de : *abhinc,* lisez *ante.*
— 10, ligne 3, au lieu de : *quiquid,* lisez *quidquid.*
— 11, ligne 21, au lieu de : *epitomem,* lisez *epitomen.*
— 14, ligne 2, au lieu de : *illo,* lisez *hoc.*
— 18, ligne 15, au lieu de : *acceperat,* lisez *accepisset.*
— 28, ligne 2, au liéu de : *volontatis,* lisez *voluntatis.*
— 30, ligne 4, au lieu de : *a,* lisez *ad.*

VERSAILLES. — IMPRIMERIE CERF, 59, RUE DU PLESSIS.